DE BALNEORUM EX AQUIS SOTERIIS PARATORUM EFFICACITATE...

Francesco Alimonta

DE BALNEORUM EX AQUIS SOTERIIS PARATORUM EFFICACITATE

Dissertatio Inauguralis Medica

QUAM

IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE PATAVINA

Publicam facit

FRANCISCUS ALIMONTA

TYROLENSIS

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVI

Longum studiorum curriculum emensus, Amplissimi ac praestantissimi Professores, hac desideratissima die, tandem humanitate vestra ad lauream temporibus circumducendam accedo, eo animi sensu, quam juvenem decet, qui sibi in posterum novum patefactum iter prospicit, exercitium scilicet artis ejus, cui ab adolescentia enixis viribus sibi incumbendum arbitratus est. Longa vos consuetudine commilitones meos acquali animi motu adfectos perspicere soliti, ea benignitate, qua me hucdum prosequuti estis, et hodierna luce prosequamini, hodierna hac, inquam, luce qua, ab auctoris titulo omnino alienus; legibus pervetustae hujusce academiae id jubentibus, ad medicum argumentum pertractandum adgredior. Virium debilitatem mearum, per quinquennium expertam, nunc adminiculo vestro sustinete, meque tali ratione in posterum eo incendite desiderio, ut et majora, et meliora moliri ac perficere tentem.

Veteres, qui utpote recte animadvertit Illustris *Rostan*, quanto nobis inferiores arbitrandi sunt

relate ad Medicinae theoreticem, atque ad notionem rationalem subsidiorum illorum, quibus humana labefactata salus, ad statum normalem iterum restitui potest, tanto nobis praestantiores dijudicari debent quoad regulas, quibus sanitas conservari per diutius volet tempus, nobis testimonia haud dubia reliquere illius praetii quo usum balneorum, tum ex aqua simplici, tum ex soteriis aquis paratorum prosequuti sunt.

Pervetusta vestigia illa, quae in magnis et Graeciae urbibus occurrunt, et Romae passim observantur, nec non monumenta illa, quorum rudera penes thermales fontes aquarum medica efficacitate pollentium hinc illinc observanda inciduntur magis quam antiquorum medicorum, et Graeciae, et Latii scripta nobis patefaciunt quanti balneorum usus habitus fuerit ab illis nationibus (quae inter caeteras temporum eorum cultissimae existimandae sunt) ad vitam humanam expertem servandam eo innumero morborum multifariorum exercitu, cui, proh! dolor, et naturae ipsius sanctissimis legibus, et morum depravatione, et haereditaria labe omnes expositi homines sunt.

Quod si temporum vicissitudinibus, atque consuetudinum permutatione factum est, ut nostris annis usus balneorum hygienico scopo susceptorum sensim sensimque imminutus est, quin imo fere ..bitus, haud tamen inficiendum occurrit

ejusdem, et apud hodiernos populos maximam esse celebritatem ad infirmitates plures curandas ex illis, quibus obnoxia humana est oeconomia. Quod quidem adsertum ex eo confirmari facile potest, quod immensus concursus, et praesenti aevo sit illorum, qui quotannis ad Soterias accedunt aquas, ut medelam inde nanciscantur malorum, quibus vexantur.

Nec aliunde certe res accidere poterat, quando consideretur quod si maximi emolumenti usus existimandus sit aquae simplicis externe pro balneo ad therapiam morborum plurimorum applicitae, eo majoris utilitatis arbitrari debemus aquas illas, quae in se medicata, tum et quando energica continent principia, quibus actionem validam, atque perspicuos effectus humanum exerere possunt in organismum. Quum enim id theoreticae pharmacologiae admittatur principium, quod remediorum externa propinatio, eadem et in massa organica, et in incitabilitate phaenomena inducere valent, ac illa quae per internam eorundem administrationem gignuntur, consequi debet quod resultatus omnes ii, quos repetunt clinici ex interno usu principiorum, quae in aquis soteriis continentur, et ex balneis per aquas ipsas recte institutis jure merito expectandi erunt. Ast longe jam a veritate ille recederet, qui sibi suadere possit, quod aquarum medicatarum humanum in organismum

energia ex substantiis tantum illis, quae pondere metiri possumus, quaeque in ipsis minori vel majori quantitate solutae inveniuntur repetenda esset. Verum equidem est quod maximi facienda principia illa evadunt, sed unde sit altera ex parte ut artificiali ratione aquae aeedem paratae effectus eosdem humanam in oeconomiam minime ponere possint, qui a naturalibus ex terrae visceribus sponte scaturientibus ponuntur? Quaestionem hanc quippe quae magni ponderis in medicina theoretica censeri debet, aliquanto propius perscrutandum operae praetium arbitramur.

Certe si aquae Soteriae tantum efficaces evaderent propter unum aliudve illorum quae continent principiorum, nulli interesset ut naturales artificialibus praeferrentur, ast qui rem tali pacto considerant nimis arctam menti sibi proponunt, et legum quibus naturae omnes subsunt producta, quibusque humanus obtemperat organismus, et phaenomenorum, quae externa agentia nostrum inducunt in corpus, ideam, etenim, utpote recte quidam animadvertit medicinae theoricae scriptor quoad aquarum medicatarum efficacitatem sequens consideratio semper medici intellectui praesens esse debet.

Aquae soteriae non ex uno alterove praevalente principio actionem repetunt suam (utpote ii, qui earundem divisiones systematicas exhibere conati sunt sibi suadere videntur) puta ex acido

Carbonico praeponderanti, vel ex Hydrogenio Sulfurato, salibusve mitioribus, muria, ferro, jodo, aliisque hujuscemodi, ita ut aquae existant strictiori sensu carbonicae, hydrothionicae, salinae, ferruginosae, et sic porro. Earundem potius activitas verosimilitudine majori repetenda videtur ex mixtione intima plurimorum ex hisce principiis, atque ex definita ratione proportionali principii unius vel alterius, ita ut efficacitas ipsarum ex pluribus sit, nec aliqua ratione exprimam, efficacitatibus simplicioribus, ex singulis elementis derivandia composita quodammodo considerari debeant; ex quo fieri necessario debet, ut resultatus longe evadat diversus a viribus iis simplicioribus, a quibus conjunctis constituitur. Quod res tali pacto se habeat facili negotio percipi poterit, quando consideretur quod difficilioris pensi, quin imo impossibile pro maxima casuum parte sit aquas medicatas artificiali naturalibus omnino analogas relate ad chemicam compositionem efformare. Et revera si tot adsunt adhuc inter maximi nominis viros quoad plures soterias aquas celebriores, ab ipsis analytico tentamine perscrutatas, disparitates circa chemicam compositionem, absque dubio nulla pariter certa regula adesse poterit eas ipsas rite parandi. Ex quibus cunctis nobis evidenter satis demonstrasse videtur quod male cogitent ii, qui praescriptione quadam a Pryaire et Jourine edita, vel alio quo-

vis in formulario relate autumant aquas medicinales efformare naturalibus aequiparandas, quique exinde nullam agnoscunt inter easdem, atque a pharmacopola obtinendum productum differentiam.

Ast ad efficacitatem balneorum institutorum ope aquarum therapeuticum in usum deductarum omni ex parte intelligendam, non tantum ad principia illa de quibus hucdum sermonem habuimus mentem contulisse sat est, verum etiam necesse sit, ut alia quaedam pura elemente easdem constituentia ad trutinam revocentur, quibus pensitatis, forsitan haud a veritate alienum erit concludere quod ex ipsis potior medicatorum aquarum virtus procedat.

Et quidem aqua ipsa simplex, principiis peregrinis destituta, validum constituere per se remedium non ex superius allato argumento tantum deduci poterit, ex scilicet medicorum et veterum et recentiorum sententia, atque ex usu, quem balnei simplicis antiquae nationes faciebant, quin etiam ex animadversione potestatis illius quam fluidum hoc in universam exerit vitam, quum sat certum sit quod absque aqua vivum nec generari, nec evolvi, nec perdurare possit, quodque functiones omnes plasticae vitae debita tantum intercedante humorum liquiditate obtinere valeant.

Quod si aqua indispensabilis evadit oecono-

miae, sique per eandem functionum debitus concentus physiologico in statu regitur et conservatur, haud difficile erit novisse quod fluidum idem tanta pollens in organismum efficacitate indispensabile pariter evadet ad restituendam hominibus, quando a normali conditione recesserit, sanitatem. Sed quid cognita jam non medico tantum et vulgi homunculo referam? Quibus ignotum quod externa aquae, simplicis etiam, adplicatio ad retardatum humorum motum adaugendum, ad resorptionem alacriorem reddendam, ad secretiones atque excretiones diversas promovendas, ad perspiratiooem et cutaneam et pulmonalem uberiorem reddendam, ad laxitatem, mollitiam in cohaerentibus ac rigidia nimia organicis partibus restituendam egregie conducat? Quamobrem, et id attenta perpenduut Medici rationales, necesse est in remediorum, de quibus loquimur, adplicatione, quod scilicet medicatorum principiorum in aqua existentium actionem convenienter secernere valeant, ab actione aquae ipsius simplicis ad cutis ambitum admotae.

Notum praeterea omnibus est quod aquae minerales, quae ad scopum therapeuticum pro balneo usurpantur diverso omnino donatae sint temperiei gradu, ita ut nonnullae gelidae fere sint, temperiem scilicet circum ambientium corporum offerunt (aquae minerales frigidae), aliae caloris gradum plus minus athmosphaerico praesentent

superiorem (aquae thermales). Si itaque activitatem balneorum per aquas unas vel alteras institutorum quaquaversus considerare voluerimus, sique convenientem inquirere tentaverimus rationem effectuum illorum, quos humanum aegrotantem in organismum inducere possunt, et ratio diversae quantitatis, qua instruuntur, calorici, conveniens habenda erit.

Caloricum enim imponderabile illud fluidum, quod ad vitae manifestationem maxime necessarium elementum constituit, quodque phaenomenorum in corporibus organisatione donatorum caussa nisi princeps, certe ex praesignis arbitrandum est, actionem talem etiam in oeconomiam aegrotantem manifestare valet, ut certe aquae medicatae, quae pro balneo adhibentur juxta variam, qua pollent, hujusce fluidi quantitatem diversos omnino effectus in aegrotantibus gignere debeant, utque etiam abstractione facta ab aliis principiis, quae continent efficacibus tantum propter diversam temperiem, qua efficacissimae potentiae therapeuticae essent habendae.

Consulto dixi pro varia, qua pollent, temperie, nam longe certe diversa est influentia, quam ipsae in aegrotantem exerunt oeconomiam prout diversa est quantitas calorici, qua scatent. Non est hujusce loci singillatim effectus animadvertere, qui ex diverso gradu frigoris, vel caloris unius vel alterius aquae mineralis proprio sunt rape-

tendi; nam id et longius tempus requireret, quam id est quod brevis dissertatiunculae determinatis conceditur limitibus, et longe aane a proposito nostro deterreret. A quo quidem labore, et eo libentius abstinebimus, quod jam in omnibus vel fere omnibus materiei medicae operibus satis fuse enumerati perleguntur effectus, qui ex frigido, subfrigido, tepenti, vel calido balneo derivantur. Nobis idcirco generali modo sat erit statuisse quod magnam symbolam in aquarum medicatarum pro externo usu adhibitarum virtute, et influxus calorici contribuat, quodque exinde longe diversa sit balneorum efficacitas in oeconomiam pro vario, quo instruuntur, temperiei gradu, ex quo sponte consequi debebit, quod certe aquae frigidae minerales non iisdem in circumstantiis ad aegrotantium medelam indicatae erunt ac aquae tepidulae, atque eo magis ac aquae calorici majori imbutae quantitate.

Quidquid diximus de calorico, et de electricitate pariter dicendum occurrit. Scimus enim quod, etiamsi aqua pura haud bonus censenda sit hujusce fluidi imponderati, utpote physici passim dicunt, *conductor*, nihilotamensecius quando eadem majori vel minori corporum aetherogeneorum, salitorum potissimum, copia impraegnetur *conducibilitatis* majoris proprietatem acquirat. Tali idcirco proprietate ad altiorem gradum donatae aquae minerales esse debent,

quum corpora eadem peregrina magna semper copia in ipsis continesntur, unde fieri debet, ut et fluidum illud, quod simplici in aqua parvi faciendum est, in bisce peculiarem et philosophi scrutatoris, et medici rationalis sibi vindicet animadversionem.

Quod generali modo declaratum extra dubii sphaeram positum est, atque absque erroris metu adfirmari potest hodiernis nihilominus in scientiae medicae cognitionibus, haud peculiaribus circumstantiis adplicari potest, ita ut ex. gr. dicere possimus quod hac alterave in aqua medicata talis talisve sit influxus, quem relativa electrica in oeconomiam humanam exercet tensio. Scio equidem aliunde praeclarissimos nationum magis septentrionalium viros multum studii ad agentis hujusce physiologici, atque therapeutici influxum propius indagandum nostro praeprimis Saeculo contulisse, baud tamen votis, aut praeconceptae spei eorundem conatus respomere, ac illa, quae in ipsorum operibus passim perleguntur magis pro immaginationis figmento habenda sunt, quam pro casta naturalium phaenomenorum indagine, atque expositione.

Verum equidem est observatione sat antiqua confirmatum fuisse balneorum soteriorum usum tum praeprimis inefficacem concedere, quum frequentes animadvertuntur in athmosphaera chemicae mutationes, quibus perdurantibus aequi-

librium electricitatis et in aëre, et in aquis medicinalibus ipsis valdopere parturbari debet. Observatio tamen haec ipsa, generali tantum modo exposita ita est, ut ex eo aegrotantes balnea illo tempore suscipiant, quo aëris serenitas, atque tempestatis constantia major est. At quis unquam propterea asserere potest quod minor sit electrica in aquis mineralibus tensio quum coelum nubilum est, quumque tempestates inconstantes sunt ac oppositis in circumstantiis, dum omnina contrarium saepe saepius evenire Electrometrum evidenter indigitet? Nec aliunde ex parva activitate salutari, quam balnea demonstrant quum suscipiuntur talibus sub athmosphaerae conditionibus deduci posse mihi videtur id repetendum esse ex deficiente, qua ipsa pollent, electricitate; nam ad balneorum bonum effectum persentiendum äer ipse, qui functionibus cutaneis potissimum opponitur obstat, nec illa tam facilè negotio habari potest abundans diaphoresis, quae aliunde ad bonum ex aquis mineralibus externe adplicitis effectum promovendum indispensabilis est.

Hac idcirco opinione refutata, asserimus, coeli inconstantiam ex eo potius balneorum actioni reniti, quod liberius functionum cutanearum exercitium impedire valet.

Nobis vero undenam balneorum soterorum efficacitas deducenda sit inquirentibus, sat erit absque erroris noxa concludere posse, quod et ele-

etricitatis in aquis ipsis influxus maximi sit faciendus, quod quidem asserentes in eam pariter adducimur opinionem, ut haud negemus quod et magnetico, et aliis, si quae adsunt fluidis imponderabilibus, quidpiam in effectibus balneorum ipsorum occurrat tribuendum. Atqui quum candide professi fuerimus omnino incertas notiones illas esse, quas nos quoad magis cognitum fluidum impouderabile (electricitatem scilicet) habemus, eo magis asserere debemus quod inextricabilibus omnino (siquidem existit) circumdetur difficultatibus argumentum id, de quo nunc peragimus, quod scilicet impossibile sit statuere quid in aquarum soterisrum viribus influxus magnetici fluidi contribuat. Nec praetereundum est altera ex parte id, quod in quibusdam operibus, quae ex professo de aquis agunt medicatis, perlegitur, quod scilicet nexus dynamicus maximi faciendus sit ille, quem dum e terra proveniunt, cum magno, qui in hujus penetralibus obtinet, processu vitali, habet, et quo vis aquarum interna non intendi non potest. Nam (sunt cujusdam laudatissimi pharmacologi verba) sicut sanguis dum e corpore profluit, vitae partem secum educit, ita et terra cum aquis, quas fundit vitam suam terrestrem emittit. Unde confirmatur et explicatur, quam omnes fere Medici concedunt, majora quarum medicastarum, dum ad ipsos fontes adhibentur, virtus medica.

Haec vero sententia, quum ab ideis passim a nobis Italis relate ad remediorum istorum theoreticem admissis aliquantulum recedere videatur, a nobis parumper erit consideranda. Si auctor cujus retulimus verba, pro hoc magno dynamico processu in orbe terrestri occurrente intelligit concursus fluidorum imponderabilium hucdum cognitorum, nos equidem cum ipsius recte convenimus sententiam, haud fluidis ipsis incoercibilibus efficacitatis gradum maximum denegantes, etsi utpote nuper declaraverimus in quo efficacitas ipsa consistat, ac quanti ipsa facienda sit nos plane ignorare confiteamur. At si ipse aliquid peculiare sub processu ipso assumit, vitae forsitan biotico imponderabili analogo nobis haud hanc arridere ideam ex eo declaramus, quod tali ratione obscuritatibus ac difficultatibus existentibus aliae iterum et difficultates et obscuritates addantur, nam semper definiendum superesset in quo magnus hic dynamicus processus, de quo ipse sermonem habet, consistat.

Comparatio vero aquarum mineralium efficacitatis cum vita quam sanguis vix e vena extratus secum trahit, haud omnino nobis conveniens adparet, nam sicuti omnibus certum est magnum influxum in universum organismum exerere sanguinem, atque ipsius functiones omnes per fluidi hujusce praesentiam sustentari, quin imo integram oeconomiae fabricam reparari, incertum

altera est ex parta, vel potius omnino hypotheticum tantum in aquis medicatis relate ad terrae universae chosmicas leges inesse potestatem.

Nec multum aliunde, adsertum auctoris illius confirmare nobis videtur consideratio virtutis medicae majoris aquarum soteriarum, dum ad ipsos fontes recentes adhibentur, quam, dum post aliquod temporis intervallum, alibi delatae fuerint. Circumstantiae aliae enim duae statim incidunt animadvertendae, eaeque adeo magni momenti ut per se valeant phaenomeni sat tutam explicationem exhibere.

Et primo jam insuper a nobis expositum est quod aquae medicatae compositionem pro maxima parte praesentent diversorum elementorum activorum data proportione conjunctorum, ita ut efficacitas earundem ex compositione illa, atque ex proportione ea ipsa principiorum sit derivanda. Ast notum est ex Chemia, quod corpora quo pluribus elementis composita sunt, eo faciliori negotio decomponuntur, nec mirum aliunde esse debet si aquae soteriae, quae aliunde compositione multiplici donantur per aliquod temporis intervallum observatae reactionem inter elementa, quibus constituuntur, perpeti debeant, qua oborta, quum permutata sit mixtio materialis, compositio scilicet chemico, eodem tempore, et efficacitas ipsarum in vivum organismum valdopere

modificetur necesse est, quin etiam tum et quando ipsa omnino permutata esse debet.

Quod id verum sit aquarum medicatarum pro balneo adhibitarum animadversione comprobari potest.

Caloricum enim naturale, quod antea efficacissimum praedicaverimus earundem principium disperditur, atque artificiali ratione restituetur opportet.

Imponderabilia caetera, quae cum aquis ipsis cohaerent pariter aufugiunt, nec cognita hucusque ratione ulla iterum aquis ipsis reddi possunt.

Permutata et electrica et thermometrica aquarum conditione, novae in scenam ludunt affinitates, quaedam sub gazorum forma principia avolant, quaedam solidescunt, ac sub sedimentorum specie fundum petunt, quaedam indolem propriam ita mutant, ut longe a prius existentibus diversa evadant.

Quae cum ita sint haud mirum una ex parte esse debet si tot tantaeque sedulitates a Chemicis propositae fuerint, ut aquae Soteriae minus quam fieri potest mutatae per aliquod tempus asserventur, at si nos adfirmare audeamus quod etsi quaecumque cura ad id obtinendum adhibeatur, nihilominus ad scopum pervenire difficillime nobis datum est.

Ast id quod usum balneorum in ipso loco ubi

e sinu terrae medicatae aquae scaturiunt efficaciorem reddere valet ad infirmitates curandas, est combinatio illarum hygienicarum circumstantiarum, quae in locis iis ubi pro balneis instituta sunt aedificia in unum collectae existunt, quaeque rariori sane in casuum numero, in ipsis aegrotorum aedibus adesse possunt.

Quem enim latet quod ad aegritudinum curationem obtinendam symbolam conferat maximam, et coeli amoenitas, et ridens naturae universae vegetantis adspectus, et conveniens diaetae ratio, et motus corporis modicus usus, et animi praeprimis tranquillitas, quae cuncta certe facilius haberi possunt extra domum in locis iis, ubi et domesticis curis homines liberi evadunt, ubi magna in societate colleguntur, ubique et naturae beneficio et hominum industria factum est, ut omnia serena, jucunda, atque laeta hominum oculis praesentarentur.

Animi atque mentis influxus in somaticam vitam negare omnino opporteret, quando adserti hujusce veritas in dubium revocare vellemus. Ast quia erit, qui id negare audeat, quique si id ausus fuerit haud a viris tantum, quin imo et a mulieribus non irrideatur?

Quin etiam, etsi nos non hanc omnino profiteamur sententiam, non desunt nonnulli, qui parum virtutibus remediorum therapeuticis fidentes adfirmare non dubitant quod omnis medica-

tarum aquarum efficacitas repetenda sit ex hoc psychico telluris coeli, ac societatis influxu, quem loca ubi e solo scaturiunt peregrinatoribus ibidem pergentibus offerunt. Qua quidem in opinione, etsi exageratum aliquid videamus, nihilominus adfirmare non dubitamus, quod certis ipsa limitibus circumscripta, qua veritatis fidelis expositio haberi debeat.

Superest tandem ut momenta omnia agnoscamus, quibus fit, ut balneorum ex aquis medicatis depromptorum usus utilis evadat, superest, inquam, ut consideremus et diversum modum balnea ipsa instituendi, nam et id minime indifferens est habendum quando medicatis aquis balnea in usum deducantur.

Diversitas vero illa procedit:

1.° Ex tempore: nam balneum quod per breve temporis intervallum adhibitum effectum unum gigneret, per diutius spatium protractum longe dissimilem, quin etiam oppositam conditionem gignere valet. Relate vero ad tempus et horae diei qua balnea suscipiuntur ratio habenda est, alius enim erit effectus balnei matutinis horis, ac alius vespertinis accendentibus incoepti.

2.° Diversitatem effectuum ponit etiam varia ratio aquas medicatas ad cutem externam applicandi. Nunc enim corpus omne in liquidum immergitur, nunc pars una tantum vel altera balneo admovetur, nunc actioni liquidi actio etiam

levis additur percussionis (aqua enim impetu quodam ex alto descendens, vel per foramen alii quod emissa, corporis plagam unam alteramve adgreditur) nunc temperies semper aequalis conservatur, nunc sensim sensimque vel extollitur, vel deprimitur etc.

3.° Diversa pariter ratio, qua aegrotantes post adhibitum balneum tractantur valdopera influere potest ad balnei ipsius effectus plus minus modificandos. Et revera longe alia erit efficacitas balnei post quod, per lectuli teporem promota profusa consequitur diaphoresis, ac ea balnei quod nullus excipit sudor, verum potius perfrigeratio.

4.° Balneorum soteriis aquis susceptorum valdopere etiam modificabunt virtutem remedia illa quaecumque cum ipsis ad morborum curationem obtinendam a Medicis copulantur; id quod praecipue de iis est adfirmandum pharmacis, quae activiori pollent humanam in oeconomiam efficacitate.

5. Quod diaeta tandem varios reddere valeat effectus, qui ex usu balneorum Soteriorum expectantur, jam superius sat fuse declaravimus, quando causas inquirere conati sumus, quibus fit quod balneorum ad ipsos fontes ubi scaturiunt aquae medicatae usus, longe sit praeferendus balneis domi paratis ex aquis e longinquo a fontibus ipsis advectis.

THESES DEFENDENDAE

I.

Divisio Materiei Medicae juxta naturae tria regna haud maximi medico momenti.

II.

Divisiones medicamentorum ex eorundem actione in organismum adsumptae optimae.

III.

Stimulantia et controstimulantis maxime agunt in circulationis apparatu.

IV.

Vitae vegetantis a vita animali distinctio plurimis in casibus perdifficilis.

V.

Fibrae elementaris in organismum inquisitio somnium antiquorum.

VI.

Plures in animalibus classium superiorum monstruositates vel deformitates, in inferioribus statum constituunt normalem.

VII.

Systema cerebro-spinale nervorum symmetricum.

VIII.

Medico multa scire pauca agere oportet.

IX.

Cholerae pathogenesis hucdum andabatarum pugna.

X.

In Medici manu non datur venenum.

XI.

Non una sed multa videtur staphylomatis origo.

XII.

Assero veram doctrinam medicam Italorum Hippocraticam esse.